JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI
I UMJETNOSTI

VJEKOSLAV NORŠIĆ

Opis nove župne crkve Bl. Dj. Marije u Belcu g. 1758.

ZAGREB

1952

12824

Poseban otisak iz »Starina« knjiga 44

Poklon od pisca

Vjekoslav Noršić

OPIS NOVE ŽUPNE CRKVE BL. DJ. MARIJE U BELCU G. 1758.

Jedan od najljepših crkvenih spomenika iz doba baroka je svakako župna crkva Bl. Dj. Marije u Belcu kod Zlatara. Ta crkva već 40 godina privlači k sebi naše povjesničare i umjetnike, koji su je već u više navrata ispitivali, pregledavali, opisali i fotografirali. Ali, do danas je nije nitko tako točno, iscrpno i lijepo opisao, kako je to učinio sam graditelj njezin belečki župnik *Pavao Kunek* (1739.–1774.), čim je crkva dovršena 1758. Original ovog opisa, kao i kasniji prijepis iz prve polovine 18. stoljeća, čuva se danas u arkivu naše Akademije pod signaturom II. d. 198.

Kako je taj opis vrlo točan, jer nam pruža dragocjene podatke o gradnji i unutrašnjem uređenju crkve, o umjetnicima, koji su kod toga sudjelovali kao i dobročiniteljima, koji su to djelo potpomagali, zato ga priopćujem ovdje u cijelosti u nadi, da će dobro doći i poslužiti svima, koji se bave istraživanjem ovog našeg najljepšeg baroknog spomenika iz početka druge polovine 18. stoljeća. Ovo je tekst toga opisa:

DESCRIPTIO

Novae Ecclesiae Beatissimae Virginis Mariae sub titulo ad Nives fundatae, alias Belleczensis dictae, filialis vero Ecclesiae Parochialis sancti Georgii Militis et Martiris, sub Castro Bellecz conditae. Secundum Rubricas subinsertas, utpote: De origine, structura exteriori, apparatu interiori, aris, cathedra, choro, pictura, sacristia, situ, dote, thesauro spirituali, reliquiis et re suppellectili, in Anno Domini 1758. peracta. Et primo quidem

DE ORIGINE

Si origo ignorantiae latebris involuta, in solem sese non effundat, nunquam prudentum calami, nunquam praela, ingeniosae posteritatis, prius semper in rerum cunabula, quam illorum progressus et exitus, investigare studiosae, desiderio satisfaciunt. Quocirca novam ecclesiam Belleczensem Beatissimae Dei Genitricis Virginis Mariae, sub titulo ad Nives errectam et fundatam circumscripturo libuit de origine ejusdem, parco licet calamo, primo tamen loco diserere.

Absit hic dubia pro veris adducere, absit de rei incertae certitudine disputare. Haec etenim propter defectum canonicarum inquisitionum et authenticarum scripturarum, sive rudiorum priorum temporum ignoratione, sive illorum quorum intererat, intermissione non conquisitarum erui ex tenebris minime potuit.

Placeat proinde de exordio dictae ecclesiae et vigentis in eadem devotionis principiis, puram, eamque piam, piorum continua serie, ad haec usque tempora perlatam traditionem audire, usque dum de illis, quorum et notorietas publica et ipse oculus testis est, dissereturn.

Ipsa sibi hanc sedem delegisse videtur Beatissima, dum in anno Domini 1675. vel 1676. (: nam dotatio prima intercessit anno 1677. uti uberius in rubrica dotationis ab infra habetur :) reverendo *Georgio Dudich*, eotum loci parocho, praesentibus duobus aedituis, sive per apparitionem propriam, sive alterius genii coelestis, locum ubi nunc ecclesia, vepretum tunc fuit, castaneis hinc inde arboribus consitum, ostendisse et eundem commonuisse perhibetur. ut ibidem ecclesia sua sub titulo ad Nives errigatur. Nunquam sane ullo rubo tam pulchra rosa erubuit! Compuncta pio inde aculeo, aut aliunde, Divino afflata spiritu ,singulariter devota, in gloriosissimam Dei Genitricem, domina comitissa *Elisabetha Keglevich*, domini comitis *Georgi junioris Erdeody* vidua, eotum bonorum Bellecz tentrix et posessor, tantum aeris contribuit, per quod rubum cum Mariana Rosa, in sacellum, sub eodem quo supra titulo: ad Nives, teste donatione prima ejusdem, concluserat.

Ubi cum Gratiarum Mater in gratiis elargiendis in dies cresceret, crevit etiam grata pietas, quae etiam num vinci amat dum vincitur.

Augustius proinde Ei sacrarium, successu temporis, defuncti *Ladislai Horvath* parochi loci molitus est zelus et industria, qui ex piorum elemosina, et corporis ecclesiae murum prolongavit et turi etiam auxit. Rem quidem piam fecit, non tamen perfecit. Eo etenim morte praevento corpus ecclesiae partim sine, partim cum tabulato eoque vetustate temporis et carie exeso remansit. Muri praeterea humiles et debiles, turisque constricte et gibose aedificata, nec magnum ecclesiae ornamentum, nec longam sui persistentiam policebantur.

Marianae gratiae hic ubertim dispensatae et singulis festivis diebus, praesertim vero honori Beatissimae, sacris, ex partibus etiam remotioribus, frequens supplicantium accursus, actuali parocho loci *Paulo Kunek* pro motivo fuerunt et incitamento, quo mox in accessu ad parochiam suo intra primas pastoralis munii sui curas, omnes suos conatus, vires omnes et potioritatem substantiae suae in gloriam Deiparae impenderet.

Facta proinde (uti obligationis est) apud superioritatem suam insinuatione et per hanc medio Reverendissimi olim domini Adami Sztepanich cantoris et canonici Zagrabiensis atque Nicolai Thomich parochi Zlatarensis in facie loci ecclesiae et murorum ejusdem praemissa oculari investigatione compertaque murorum debilitate et portendae testudinis, fornicem dicunt, incapacitate factaque eatenus superioritati relatione. Ab hac tandem annotatus reverendus parochus Paulus Kunek dictae ecclesiae et augendae et omni meliori modo accomodandae accepit facultatem.

Quae cum secus stabiliter accomodari adornarique non potuisset, turim ecclesiamque et sacrarii muros funditus propemodum diruere destruereque. Quin imo novis jam errectis muris noviter eosdem a sumo ad imum (: uti rubrica Apparatus Interioris uberius perhibet :) perfringere necessum fuit. Desctructa itaque totaliter est ecclesia, sed ad vitam ut gloriosius resurgeret et Phenicis adinstar puleris e fatis suis. O felix metamorphosis! eluctaretur. Murata enim est in eam, prouti nunc fastigiata cernitur, augusta specie et interno praesertim nitore elegantem ecclesiam.

Et quod mirare! *Cum tribus aureis opus tantum aggressus, illud, nec his impensis ad hunc, quo modo gloriatur, statum, felici continuatione perduxerit.*

Sic nempe facili negotio Beatissimae nova tecta adornantur, ubi Deus, ubi Illa, adorationem sui statuunt. Spiritus enim spirat ubi vult. Cujus instinctu tanta clientium Marianorum in subministrantis subsidiis pietas! Tanta elemosinarum etiam incognitarum largitas! Tanta populorum etiam extraneorum in approptandis manualibus aliisque operibus pronitas! Quod restaurationi ecclesiae, sacrarii et sacristiae *initium annus 1739. dederit, annus autem 1741. coronidem feliciter imposuerit.*

DE STRUCTURA EXTERIORI

In formam crucis exporrecta conspicitur ecclesia, cujus sanctuarium orientem, sacristia et adjacens ei sacellum Sacratissimi Rosarii septentrionem, sacellum porro Sancti Stephani Prothomartiris meridiem versus respicit. Pulcrum eidem addit auctuarium turris satis alta et fortis occidentem versus ante et supra portam majorem ecclesiae *de novo ex fundamento, diruta priore, educta,* cujus anima est unica solumodo campana medii circiter centenarii. Majorem ex piorum liberalitate praestolatur.

Fenestras habet ex vitro christalino quadrato proportionatae altitudinis et latitudinis. Meridiem versus quinque: unam nempe ad sacra-

rium, duas in sacello S. Stephani Protho-martiris, duas item in corpore ecclesiae, cui singula minor fenestra semi-rotunda super imposita habetur. Occidentem porro versus, unam ad sacellum Sacratissimi Rosarii ac demum orientem versus unam ad sacristiam ac unam rotundam cum vitro flavo ad sacrarium copiosum diem eidem ecclesiae et sacristiae infundentes.

In sanctuario extrinsece, orientem versus, supra solare horologium ingenioso penicillo effigiata est in medio stellae Beatissima Virgo Maria cum circumscriptione:

Ora pro Nobis S. DEI Genitrix.

In sacello Sancti Stephani Protho-Martiris supra *solare horologium* pari ingenio et penicillo adumbratus est IESUS stellae incumbens cum circumscriptione:

In oriente enim vidimus stellam ejus.

Tectum ecclesiae ex scandulis Bisztrensibus Illustrissimi domini comitis *Christophori* ab *Orssich* suae Majestatis Sacratissimae collonelli et actualis consiliarii camerarii munificentia praestitit. Turis autem simplici cuspidato tecto et asseribus ordinariis abiegnis cooperitur.

Additum ex foro ad ecclesiam praestant terne portae, una major infra turim, alia in sacello S. Stephani Proto-Martiris et tertia in sacello Sacratissimi Rosarii accomodatae et circumferentiam ex scisso lapide habentes.

DE APPARATU INTERIORI

Visa exteruori structurae forma lubeat ipsam ecclesiam ingredi et breviter lustrare singula ac praecipua quedam in illis accuratiorisque iniectu oculi pervadere: ubi arae omnes, cathedra, chorus, picturae speciali fulgore et ornamento effrabicatae singulari quadam voluptate intuentium oculos perfundunt. Et quidem primo loco:

DE ARIS

Ara Maior

Princeps altare elleganti scalpro elaboratum, copioso auro splendidum sub ipsam templi testudinem gloriose assurgens, illorum quorum infra scriptum Mnemeinon specialem mentionem facit, Divae Virgini una ac Matri, pietate dicatum est. Elevatur porro per ternos sinus, sibi impositos, quorum a dextra Sampson pelle leonina indutus et sinistrum pedem super fereum inargentatum globum figens a sinistra autem parte Hercules, leonina pariter pelle coopertus, basis est et sustentaculum.

Primum sinum occupat tabernaculum elleganti non minus ac ingenioso labore exsculptum ac totum quantum auro refulgens in cuius inferiori

gradu ex utroque latere unus alatus genuque flectens Angelus conspicitur, quorum unus a dextera ture fumans turibulum adorationis Domini simbolum, alter autem a sinistra manipulum tritici, panis promissionis inditium gestat. In superiori autem tabernaculi ambitu duo minoris staturae Angeli, quilibet ex suo latere Sanctissimum quasi adorare videntur. Supereminet demum Agnus Dei cum suo vexilo intra radios et nubes inauratas atque ternos genios coelestes, libro inaurato ex quo septem sigilla, septem Sacramenta indicantia, propendent insistens.

In secundi sinus medio forma quodamodo arcae perbelle consurgit, quam totam ferre adimplet, statua praetiosi laboris Augustae Coelorum Reginae Matris Misericordiae, coniunctis manibus, quasi pro venia peccatorum nostrorum Deum deprecantis. Hanc radii et coelestes genii inaurati ac nubes argento illinitae circumdant. Corona inaurata, ab intus alias cuprea, cum lapidibus Bohemicis et exteriori argenteo ornatu speciosam formam exhibens, eiuscapiti inest. Aliam desuper infra concam inauratam, suis partim rubeis, partim aureis dependentiis, placide ab utrinque fluitantibus decoram duo integre staturae Angeli, quasi de coelo adferentes sustentant. Vertici concae praemissae in forma columbae insidet Sanctus Spiritus radios suos in Beatissimam effundens. Latera Sancti Tres Reges donaria sua aurum, tus et mirham et quartus Stephanus rex Hungariae pomum aureum et sceptrum regni sui, quasi in holocaustum Divae offerentis ambiunt, suas quisque per testudines sex columnis, affabre interiectis venis aureis colore ceruleo marmorisatis, distinctas, difusi.

Tertius demum sinus pari ingenio, quasi in coronidem abiens, Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum sua in gloria intra radios nempe, nubes et sedecim coelestes genios, sua per intervalla circa circum peracomode dispositos et divite penicillo illustratos complectitur. Colateraliter adstant hinc sancta Helena, inde sancta Rosalia, suas supra columnas locatae. Duo item maioris staturae intra nubes advolantes et quasi ante thronum Sanctissimae Trinitatis provoluti angeli coelestes, hic a dextris, ille a sinistris cacumen extremarum arrae columnarum occupantes. Post gloriam prae-Sanctissimae Trinitatis extat (uti attactum est) fenestra rotunda flavo vitro occlusa per quam assurgente die non radios infundere sed ipsum solem oriri potius diceres, mirum in modum gloriam et splendorem Sanctissimae Trinitatis adaugentem. Unus ex utroque latere angelus extremam sinus huius supereminentiam sustinet. Cui ab utrinque intra nubes insidet angelus Divinam nemesim lunato poplite adorans. In medio horum expansis alis duo minores staturae Angeli prostant tabulam coeruleam formae ovalis circa circum aureo nitore fulgidam manibus sustentantes. In qua mnemosinon sequens legitur:

De Nive Virgo. Tuo Niveo Sacrata Decori.
Pietate
BaltasarIs BeDekoVICh RegnI V=BanI
atque
RosaLIae SoMogI. UXorIs sUae.

Supremum tabulae huic inhaeret cophinus diverso inauratarum rosarum genere, dives et easdem in utrumque altaris latus placide difundens.

Duo demum maioris structurae et perelegantis formae Angeli, unus ad dextrum alter ad sinistrum latus parieti adhaerentes et quasi ad Thaumaturgam advolantes in tesseram perrenis benefactorum in eandem devotionis hic Insigne *Bedekovichianum*, ille *Somogyanum*, veluti pro anatemate appensuri, adferre videntur.

Ara Sancti Ioseph

Meridiem versus prostat elegantis laboris ara colateralis Sanctissimis Jesu, Mariae et Josephi Nominibus pietate Excellentissimi olim Domini *Comitis Joannis-Francisci Chiculini* Caesareo-Regii ab Intimis Consiliarii dicata, ob interventam eiusdem pii benefactoris nondum inaurata. Ad cuius altaris latera loco columnarum flexuosi prostant arcus elleganti sculptura vestiti. Cui ad dextrum latus S. Matthaeus, ad sinistrum autem latus situato S. Joannes Evangelista suo quilibet pilastro ab infra insidens conspicitur. In medio arae statua est S. Josephi virgam efflorescentem manu dextera tenentis et oculos sursum Jesum versus et Mariam vertentis. Cuius latera ambiunt duo integrae staturae allati Angeli genuflectentes et candelabra manibus gestantes. Statuam S. Joseph nubes et radii intermixtis quatuor geniis coelestibus illustrant. Supra statuam S. Josephi prostat statua Beatissimae Virginis Mariae, nubibus tribusque coelestibus geniis circumdata. Cuius lateribus duo Angeli in formam figuratae sculpturae accommode desinentes et superiorem arae partem cervicibus sustinentes ac alii item duo coronidi arcuum insidentes et expansis manibus Jesum, Mariam et Josephum quasi adorantes insistunt. Superior altaris ambitus in medio benefactoris Insigne et ex utroque latere unam statuam Angeli, quamlibet suo circumflexui supreme insidentem continet. Supremitatem altaris statua Jesuli, nubibus et radiis circumdati dextraque tres digitos elevatos tenentis ac sinistra mundi globum cum supereminente cruce gestantis, occupat. Tota periferia altaris, insimul considerata, formam quasi unius monstrantiae exhibet.

Ara Sanctae Barbarae

Partem meridionalem versus surrexit paris laboris et artificii ara, aeque collateralis, quam honori S. Barbarae Virginis et munificentia defuncti olim Domini *Nicolai Voikovich*, comitatus Zagrabiensis ordinarii Vice-Comitis, consecravit nondum ob mortem huius benefactoris inaurataque sicuti paris cum priori laboris et structurae est, ita parem simetriam habet et parem quoque numerum statuarum Angelorumque aequali ordine locatorum numerat. Medium statua tenet S. Barbarae in

manu sinistra gladium et lauram, signum coronae martirii, a dextro autem latere turim sibi adherentem habet. Supra statuam hanc intra nubes statua est Christi Domini quasi in carceribus dictam Sanctam martirem visitantis. Superior altaris pars in medio Insigne benefactoris continet. Appicem vero eiusdem Angelus intra nubes et radios calicem cum supereminente Venerabili gestans, occupat. Subtus suis in pilastris situati, hinc Sanctus Lucas, inde Sanctus Marcus evangelista, latera altaris ambiunt.

Ara Sacratissimi Rosarii

In sacello ad dextram Sacratissimi Rosarii aram perpetuum pietatis suae monumentum Excellentissimi, Illustrissimi et Reverendissimi olim Domini *Gabrielis-Hermani e Comitibus Pattachich de Zajezda*, Colocensis Archi-Eppiscopi et Caesareo-Regii actualis intimi status Consiliarii munificentia posuit. Quod in duos sinus sibi impositos elevatum, quatuor columnis rubeo et argenteo colore illustratis, sustentantur. In medio arae statua est Beatissimae Virginis Mariae, sinistra manu Jesulum (cuius in sinu globus mundi) gestantis et dextera rosarium flectenti Sancto Dominico, dextra lilium tenenti, porrigentis. Statua haec Mariam circumductis nubibus et radiis illustrata, lunae inauratae, per nubes argenteas sustentatae insistit. Cuius laevae adhaeret statua Sanctae Clarae genuflectentis et lilium manu sinistra portantis. Circa ternas has statuas quindecim misteria Sacratissimi Rosarii aureis leminiscis circumducta et capitibus Geniorum coelestium cumulata suisque distinctis in tabellis artificioso penicillo colorata suumque per ordinem debite disposita, non postremum ornamentum toti structurae tenentis. Intra columnas porro ad sinistram statua est Sancti Francisci Xaverii aeque crucifixum in dextra habentis. In columna interiori ad dextram advolantis Angeli, manudextra Speculum Justitiae, in columna vero aeque interiori ad laevam aequalis Angeli, Stellam Matutinam manutenentis statuae cernuntur. In medio horum Angelorum tabella est rubea, aureis et satis amplis circumferentiis decorat, cui inscribendae venient voculae:

Gratia Plena

In superiori altaris parte intra quinque Angelos, nubes argenteas et quasi in medio uniusmaioris concae inauratae exaltata est statua Dei patris, dextra manu super mundi globum sceptrum tenentis et radios suos (ita ruptura auro dives accomodata est) in Filium suum et Beatissimam Eiusdem Matrem effundentis. Cuius latera ambiunt duo maioris structurae Angeli, quorum unus ad dextram rosam manu gestat uterque autem genuflexe Divinum numen quasi adorat. Supremum structurae verticem Insigne benefactoris subtili scalpro elaboratum coronat per duos alatos Angelos manibus sustentatum.

Ara Sancti Stephani Protho-martiris

In sacello Sancti Stephani Protho-Martiris ara eiusdem sancti infraserti benefactoris sui tutelaris praetioso opere per duas sinus sibi impositos artificiose ellevata sub ipsa sacelli testudinem decore assurgens, tota divite auro refulget. Aurea nempe pietate Illustrissimi et Reverendissimi domini *Stephani Pucz,* Dei et apostolicae sedis gratia *Episcopi Belgradiensis,* praepositi maioris Zagrabiensis et archidiaconi loci tit., cui cum summum semper praetium et amor Deus, gloria Deiparae et Sanctorum non potuit, non thesaurum his suum et ingenium hic quoque loci usque adeo impendere. Quod utriusque pio et largo suffragio, tam pro Divini, quam et Mariani cultus augmento, prouti et ecclesiae huius magnificentia et ampliationis incremento, et ara praemissa perdecore surrexit et muri eiusdem iam ad calcem usque intrinsecus ingenioso penicillo adumbrati, per medium corporis ecclesiae, a summo ad imum ad quatuor circiter orgiarum spatium perfracti dirutique fuerint et per pulcrum preamissorum duorum sacellorum additamentum non minus ac ornamentum receperint.

Arae huius inferioris sinus medium, statua Sancti Stephani Prothomartiris, adinstar Angeli artificiose scalpro pulcherime effigiati afabre factam, coelum apertum et filium Dei ad dexteram Patris stantem in copula sacelli, in gloria sua subtili penicillo adumbratos spectantis et manibus expansis pro inimicis suis Divinam misericordiam, quasi implorantis occupat.

Infra statuam hanc suis circa circum radiis nubibusque atque septem geniis coelestibus peraccommode dispositis illustrem duo integrae staturae Angeli suo quisque lateri assident. Quorum hic in inteo inaurato lapides et laurum martirii et victoriae signum. Alter autem apertum librum et superinpositum eidem quadratum, status et gradus huius sancti martiris simbolum, manibus ostentare videntur.

Latera ambiunt, suas inter columnas argenteo rubeoque colore decoratas et superiorem arae sinum sustentantes locati. Hinc Sanctus Andreas, inde Sanctus Jacobus maior, apostoli. Extremitatem laterum spetiosi operis auro et argento variisque coloribus splendide et diversorum florum decore intermixtae scissurae terminant.

Supra statuam Sancti Stephani ex utroque latere pennatus eminet Angelus, dextra quisque crucem huic Sancto deferens, intra hos locata tabula rubea circa circum aureia circumferentiis decore adornata sequentes inspitientibus voculos exhibet:

Plenus Spiritu Sancto.
Act. 6.

Supra hanc tabulam desuper mentionata quasi nubium appertura solide inaurata praestat, per quam et Sanctus Stephanus (uti dictum) coelum apertum spectat et Sanctus Spiritus in superiori altaris sinu quatuor geniis coelestibus stipatus et aureis argenteisqe sculpturis circa circum irradiatus aureos suos radios in eundem directe effundit.

Ad quodlibet superioris ambitus latus unus maioris staturae Angelus genuflexus conspicitur, quorum hic sertum laureum indicium victoriae, ille lilium signum innocentiae, S. Martiri offere videtur.

Et ne post cineres etiam suos emoreretur benefactoris pietas et memoria Insigne et arma eiusdem (que per duos pennatos Angelos sustentantur) supremam eamque perdecoram toti operi coronam imposuerunt.

De Cathedra

Inter reliqua ecclesiae huius decora non postremum locum occupat cathedra, in qua pictorea et sculptoria artes suum quaeque ingenium supreme impenderunt et altera alteri vi(n)ctas manus porrigere debeat. Iuditio prudentum discutiendum reliquerunt. Laborem sculptorum elemosina piorum, maximus tamen actualis parochi *Pauli Kunek* peccuniarius succursus, Divae consecrarunt, pictoreum autem pietas defuncti domini *Ignatii Bedekovich* vice-collonelli peperit.

In supremo cathedrae vertice, inter radios et nubes geniosque coelestes copioso auro refulgentes, Deus quasi in monte Synay constitutus praecepta Decalogi S. Moysi ab infra in medio flectenti porrigere conspicitur. Ad dexteram Dei pennatus Angelus sinistra tabulam sustinens in qua leguntur voculae:

Tole Virgam Tuam.

Sancto Aroni eandem virgam manu dextra tenenti, turibulum etiam futurae spiritualis potestatis simbolum, exhibet. Alter autem ad sinistram Dei constitutus Angelus habet tabellam in sinistra manu cum inscriptione:

Confortare et esto robustus

Dextra autem sancto Josuae flectenti et scutum levi tenenti porrigit gladium futurae potestatis profane inditium. Statuas has circumflexi arcus in formam montis elevati distingvunt. In frontispitio cathedrae, infra sanctum Moysem, Insigne est Bedekovichianum cum subinsertione chronographici sequentis et annum errectae chatedrae et nomen benefactoris indicantis:

aVe VIrgo spetIosa honorI tVo IgnatIVs De kVMVr
feCIt InaVrarI.

Praemissa omnia insistunt tabulato flexuose cum distinctis sculptoris et pulcherimis dependentiis inauratis circumducto. In quo ex interiori parte, quasi supra caput contionatoris Spiritus Sanctus in forma columbae intra radios aureos eminet. In columna post tergum verbum Dei praedicantis Caleb et Josve. Ingentis magnitudinis Botrum ad vivum elaboratum et ex terra Promissionis allatum humeris in ligno sustentantes et

infra botrum tabella aureis argenteisque cicumferentiis irradiata superiorem cathedrae ambitum cum inferiori coniungere videntur. Ubi haec leguntur:

Tu vero vigila, labora in omnibus, opus
fac Evangelistae, ministerium tuum imple.
Ad Tim. 2. V. 4.

In ipsa cathedra ad dextrum latus unus Angelus crucifixum Christum Dominum novi, in sinistra vero alter elevatum in deserto oeneum serpentem antiqui testamenti figuram manibus flexisque genibus sustentare conspiciuntur.

In circumferentia inferioris cathedrae ambitus ad dextram primum locum occupat Noe genuflectens et primum Deo holocaustum offerens in quod, aperto coelo, ignis descendere videtur. Subtus extat in forma scuti tabella in qua legimus:

Ignis descendit de coelo et devoravit holocausta.
Paral. 7.

In frontispicio operis suis insident pilastris, hinc Sanctus Isaias propheta tabulam manu sustinens cum insertione textus:

Erunt Oculi Tui videntes Praeceptorem Tuum.
Isa. Cap. 20.

Inde Sanctus Eremias cum pari tabella textum sequentem exhibente:

Erunt lachrimae Eius in Maxilis eius.
Erem. Cap. I.

Intra hos sanctos prophetas constitutum spatium subtilissimo scalpro elucubrata castra Israelitica occupant. Ubi illud summum artificium, quod vitulum aureum in columna sublimatum et saltantem, quasi in libero circa hunc promiscui sexus populum Israeliticum, oculis intuentium ad vivum exhibuit. Ab infra in tabella stat insertum:

Huic enim Moysi Nescimus, quid acciderit.
Exod. c. 32.

Reliqua ad latus sinistrum Sancti Eremiae pars Sanctum Jacobum prophetam dormientem et scalam a terra cacumen coeli attingentem perque eandem descendentes et ascendentes Angelos in somno videntem, complectitur, cum subinscriptione in scuto:

Viditque in Somnis Scalam stantem Super
terram et cacumen eius tangens coelum.
Gen. c. 28.

Tota structura in formam ovalem ingeniosis sculpturis, quasi per gradus intersectam sensim abiens, humeris Angeli in scissuram inauratam desinentis incumbit. Peraccommodatus et absque impedimento ad eandem ex sacristia intra murum deductus patet aditus.

De Choro

Hic interne supra templi ingressum in duplici forma una supra alteram ellevata superbe assurgit. Bases eius lapidi, ad formam pyramidis, per inflexus scisso, solide initantur et ceruleo colore marmorisatae, capitellis inauratis gloriantur. His accumbit primi chori, laboris lignei structura, auro variisque coloribus nitida in ternas quasi ovales divisiones (quartam et quintam muri utriusque partis interceperunt) suis statuis distinctas et sensim ex superiori et inferiori parte in modum arcus desinentes atque vario pendularum rosarum auro viridique colore splendidarum genere adornatas, dispertitus.

In prima divisione ad dexteram orans Beatissima Virgo Maria flexorio accumbit. Huic e diametro in tertia stat veluti advolans Sanctus Gabriel Archangelus, quasi conceptionem Domini Beatissimae annuntians liliumque manu gerens. In media porro, sive secunda divisione arbor prohibita, cui insidet serpens, pomum aureum ore premens, locum obtinuit. Ad dextram huius arboris statua Sancti Adami, ad sinistram vero statua Sanctae Eve pomum manu dextra Adamo porrigentis, situatae habentur. Sub qualibet statua, scutum cum inauratis circumferentiis locatum reperitur et secundum seriem statuarum sequentia in illis leguntur:

Maria Repravit, Quam Adam Perdidit Et Eva Gratiam.

Inferior chori huius circumferentia, suis inauratis scissuris, prouti et superior, suis aeque auro refulgentibus, circa circum fluitantibus dependentiis adornata non postremum operi decorem tribuunt.

In media parte chori surrexit organum pietate defuncti domini *Stephani Jankovich*, comitatus Simegiensis emeriti Vice-Comitis, in forma ovali, structurae nempe chori accomodatum. Quod in duas turiculas a quibus ab utrinque inaurati defluunt leminisci, desinit. Cui utrique suo in pilastro pennatus insidet Angelus tubam manu una sustentatam inflans alia autem tabellam pro excipiendo benefactoris Insigni, sustentans.

Chorus superior in linea paralella ab uno muro ad alium ductus, super columnas in octo partes divisus, elegantibus interpositis scissuris auro variisque coloribus decoratur.

Utrumque praemissum chorum et organum copioso auro et elleganti pictura Domini *Josephi Raffay* suae maiestatis sacratissimae consiliarii et consortis eiusdem Dominae *Annae Skerlecz*, pietas et munificentia florere fecit. In quorum memoriam Insignia eorundem in inferiori choro, ad latera organi commode adaptata habentur.

De Pictura

Non potuit principum Eremitarum pietas, sua in eremo subsistere, etiam in hanc difusa praecipuo totam structuram intrinseco condecoravit ornamento, dum tres candidissimi Ordinis Sancti Pauli primi ere-

mitae generales, reverendissimi utpote *Stephanus Demsich Antonjus Musar* et *Stephanus Ordody*, medio fratris ex ordine suo *Ioannis Ranker, celleberimi illius temporis partibus in istis quoad recentem ad murum italicam picturam, pictoris, totam quantam praemissam ecclesiam una ac sacristiam, ingenioso non minus ac praetioso penicillo / impenso per trienium in hoc opere per dictum fratrem labore et fatigio / adumbrari successive fecerunt.*

In sacrario supremum fornicem ad formam copulae deductum, cingit ambitus basibus suis innixus et ad vivum, quasi ex lapidibus scissis esset, coloratus. In medio intra refulgentes coelestes splendores Sanctissima Trinitas Beatissimam Dei Genitricem coronat circum adorantibus et splendidis nubibus immixtis septemdecim Angelis coelestibus, quorum unus Zonam ex fornice pro sustentatione lapidis demissam manu sustentare videtur. Supra portam sacristiae, alter ambitus, quasi naturali tapete Turcico stratus eam ad oculum facit repraesentationem ac si extrinsecus venientibus, pro peragenda devotione, deserviret. Ad partem lectionis baldachinum affabre coloratum prostat. Murus totus a summo ad imum praetiosis coloribus et figuris gloriatur. Columnae / in quorum una ad dextram campana suas inter inauratas figuras pendula et signum, prodeuntis ad sacrificandum sacerdotis edere solita, situatur / propileum sacrarii sustentantes, quemadmodum et aliae per totam ecclesiam columnae ita adumbratae sunt, quasi ex marmore rubeo excissae essent.

In propileo sacrarii tabulam coronatam duo sustentant Angeli sequens chronographicum, annum quo suprema manus labori ecclesiae fuit imposita, exhibens:

tIbI sanCta DeI genItrIX InnoVatVr
et
CorDe DeVoto aVgetVr.

Aram Sancti Josephi et Sanctae Barbarae quasi ambiunt depicta post easdem tentoria ad formam splendissimi cuiusdam baldachin superbe accommodata.

Suprema corporis ecclesiae testudo in tres cruces est dispertita, in quorum medio, quatuor ordine numerantur circuli artifice penicillo ad splendorem delineati et aequa dimensione ab invicem dissiti.

In primo splendidis nubibus illustrato coronatum Mariae nomen Angeli adorant. Et quod non postremum artificium! Angelum directe supra coronam coniunctis manibus nomen Marianum venerantem, si ex quacumque tandem parte inspexeris, videbis non modo oculis, sed tota corporis versione Eundem ad te respicere.

Secundus circulus, primae sub titulo ad Nives ecclesiae Marianae historiam complectitur, Ioannem nempe patritium Romanum et suam coniugem, qui flexis genibus et elevatis in coelum oculis prospitiunt Mariam, in sacro suo sinu Jesulum, intra choros Angelorum et intra nubes copiosas nives, mense Augusto depluentes deportantem. In medio horum duorum coniugum mons Romanus, Esquilinus dictus, nivibus

tectus, primam Beatissimae Virginis Mariae ad Nives ecclesiam, pia horum duorum coniugum munificentia fundatam, ostentat.

Tertius circulus continet praesentationem Beatissimae Virginis Mariae, quam ambiunt a dextra S. Ioachim et S. Anna a sinistra S. Simeon et unus Levita, ad gradus S. Anna Prophetissa cum infante parvulo procumbit.

In quarto circulo Cor Jesu serto roseo redimitum et flamam in altum emitens inque splendore, quasi coelesti depictum, circa circum coelestis Angelorum chorus adorat.

Et sicuti in tres cruces suprema testudo dividitur ita ex quolibet latere terni assurexerunt arcus. In quorum primo Annuntiatio et supra hanc Turis Davidica. In alio eidem e diametro apposito Visitatio et supra hanc Porta coeli. In tertio supra sacellum Sancti Stephani Nativitas domini et supra hanc Sol Iustitiae. In quarto versus sacellum Sacratissimi Rosarii Sancti Tres Reges dona sua Jesulo offerentes et supra hos luna pedibus Marianis conculcata. In quinto supra sinistrum latus chori Circumcisio Domini et supra hanc Stella Matutina. In sexto demum huic apposito fuga in Aegiptum et supra hanc stella quasi viam fugientibus demonstrans penicillo decolorata videntur.

Et sicuti quatuor columnae sunt, fornicem sustentantes, ita quatuor super easdem et quasi ad calcem fornicis intra artificiosas figuras Evangelistae. In prima S. Ioannis, in secunda S. Matthaeus, in tertia S. Lucas, in quarta Sanctus Marcus intuentium oculis semet obiciunt. In quolibet praemisso arcu praeter modo praevio deducta, distinctas Angelorum statuas, diversas diversi coloris figuras debito et eleganti ordine, artificium pictoris colocavit.

In sacello Sacratissimi Rosarii sertum ex rosis in supremitate et medio copulae intra radiorum et nubium splendorem subsistit, quod coelestes genii et integrae staturae Angeli circa circum ambiunt veluti intra nubes, libero in aere, alis sustentati. Circumferentiam hanc quatuor in partes dividunt vasa formae aureae plena variarum rosarum genere. Ab infra binae, quasi cincturae videntur, quarum intermedium distincti coloris et artificii figurae adimplent. Has vero ad quatuor partes scindunt tabellae, quorum prima fidem, secunda spem, tertia charitatem, quarta constantiam repraesentat.

Supra portam sacristiae intra artificiosas circumferentias positum est simbolum devotionis: Virgo nempe cor ardens manu gerens, ad cuius sinistrum latus advolans maioris staturae Angelus classicum intonat et quasi ad orationem sacratissimi Rosarii populum covocat.

Ad quodlibet altaris latus una, et tertia cathedram versus colratae prospiciuntur testudines, in quarum singula vas unum maius argenteae formae, cui singulo insistit Angelus allatus, manu altare demonstrans. Circa portam sacristiae, quemadmodum et circa illam, quae ad forum aditum pandit, depicta est ianua columnata moream spetiem repraesentans.

In sacello Sancti Stephani Protho-martiris sublimis prostat copula cui in suprema parte appertum coelum et Sanctissima Trinitas, stante ad

dexteram Patris filio, intra splendorem coelestem et choros Angelorum, vivis adumbrata coloribus nobile exhibet ornamentum. Hanc superiorem testudinis partem binae figuratae ab invicem utcumque distantes ab inferiori corpore separant circumferentiae, intra quas judei, in rabiem acti et quasi ex oculis visus evomentes adstantibus duobus Rabinis et Sauli vestium ad partem custodem agente, lapidant. Ipse autem Sanctus Martir versis sursum oculis, et coelum appertum Filiumque Dei ad dexteram Patris stantem videns, expansis manibus pro inimicis suis quasi orare videtur. In singulo versus septentrionem Angelo una observatur tabella, in quarum prima Sacrum ordinem suscipiens, in alia autem verbum Dei depraedicans Sanctus Stephanus cernitur. Latera altaris flores et fructus longa serie colligati, reliquos autem parietes diversi generis variique coloris figurae adornant. Circa portam versus forum una, alia autem e diametro eiusdem in pariete, marmoreae formae, quatuor columnis innixae, depictae sunt januae in cuius posterioris medio duo Angeli tabulam ceruleam sustinent in qua legimus:

Stephanus plenus Gratia et fortitudine.
Act. 6.

De Sachristia

In Sacristia a vertice adcalcem ingeniose colorata fornix in quatuor partes colaterales dividitur in sumitate tria spatia habens, quorum medium, illudque maximum, simbolum triumphantis ecclesiae occupat, continens quinque ad vivum adumbratas statuas, quarum una pluviali induta Venerabile, alia triplicatam Crucem, tertia claves regni coelorum, quarta triaram pontificiam, quinta librum appertum gestat, in quo scriptum leges:

Biblia Sacra Vulgata.

Ad huius simboli partem orientalem sua inter ornamenta Agnum Dei libro (ex quo septem pendent sacramentalia sigilla) accumbentem, ex alia vero occidentem versus, parem intra ornatum septem candelabra Apocaliptica docta pictoris manus delineavit.

In reliquis testudinis arcubus et quidem in primo supra fenestram maiorem Baptismus Domini in Jordane, in secundo supra Sanctum Gregorium Ecclesiae Doctorem Nuptiae in Cana Galileae, in tertio supra Sanctum Hieronimum Sanctus Petrus Apostolus ante portam Ecclesiae hierosolimitanae in concursu populi contractum sanans, In quarto idem Sanctus Petrus aegrotum sanans, In quinto supra Sanctum Bernardum Sancta Magdalena pedes Christi Domini lachrimis irrigans et capillis abstergens. In sexto demum supra effigiem Sancti Augustini Apostoli aegrotis manus imponentes exhibentur. Omnes has picturas suas per tabulas distinctas, quemadmodum et quatuor praemissos Ecclesiae Doctores suo ordine, suis ingenium artificis peraccomode coloravit. Inferiores sacristiae parietes columnae per varias divisiones interiectae

distinctisque coloribus tabulae coloratae colocatae ad pavimentum usque cooperiunt.

In sacristia hac prostat armare labore inciso ex solido ligno fabricatum et medio circiter supra pavimentum elevatum. In cuius inferiori parte in medio armare est ab intus in duas partes divisum, ex utroque autem illius latere tria oblonga extrahibitia pro casuli et aliis apparamentis accomodata, conservatoria. Supra haec tabula satis lata et oblonga pro quinque sacrificantibus apparamenta expicere capax. Supra hanc superior pars armaris asurgit, quae ad calcem habet cistulas extrahibiles quinque, strophiorum, corporalium et purificatoriorum conservationi destinatas. Supra quamlibet hancce cistulam unum eminet armariolum calicem cum suis accessoriis recipere capax.

Suprema armarii pars per imposita tria in forma turicularum armariola in tres quasi petras desinit, quorum mediam eamque supremam crucifixus Christus Dominus coronat, cuius crucem plorans Maria Magdalena genuflexa complectitur, Alterius ad dextram Beatissima Virgo Maria. Et tertiae ad sinistram cacumen Sanctus Joannes Apostolus occuparunt passionem et mortem Christi Domini deplorantes. Infra Crucifixum Dominum armaris latus ambiunt duo Angeli extensas desuper manus habentes, quibus imponenda veniet shedula cum inscriptione:

Pendeo pro Pomo, quod male Sumpsit Homo.

Infra Beatissimam Virginem insignia Sanctorum Evangelistarum Marci et Lucae, infra Sanctum Joannem autem Matthei et Joannis Evangelistae armariorum extremitates concludunt.

Pavimentum sacristiae non minus ac totius ecclesiae ex lapide, ad aequalem respective quadraturam, scisso cosistit quod in corpore ecclesiae demissius est medio circiter pede. Ante quamlibet minorem aram unus ex scisso lapide gradus ante maiorem autem tres in formam respective ovalem numerantur.

Perlustrato taliter exteriori et interiori statu et apparatu ecclesiae, placeat nonnihil in ipsam situationem eiusdem oculos convertere. Sit itaque:

De situ

Fixit sibi hic sedem Maria veluti festinans veniens in montana, in monte non procul a *diruto* castro Bellecz, unde et Belleczensis dicitur, nec nimium ellevato et nec nimium humili, cuius dorsum ad spatium satis protensi fori exporrectum, laetissimo virore et amoena planitie illustre, excursibus suis hinc in declive semet dimittentibus valibus, inde assurgentibus montanis, intercipitur. Septemtrionalis, orientalis et meridionalis partes facilibus colibus partim vitiferis, partim cereri sacratis colonumque suum, pro qualitate glebe solventibus et interiectu nemorum non horantium minoresque feras alentium coronantur. Occidentem demum versus caput efferunt montes et altissima juga, praesertim vero montium princeps Ivaschicza dictus, hinc bonorum Bellecz, inde bo-

norum Ivanecz (unde et nomen hausit) possessorum dominio parens. praeter ferream aliisque etiam, quamvis non appertis fodis, dives dicitur: saluberimos accolis fontes abundanter subministrat et recentissimos torrentes pulcherrimo murmure sibi obviantes, in planiora veluti e sinu suo large evolvit. Hic mons maiorum ferarum domicilium, specula est circum adiacentium incolarum, cuius culmen si sine nube vident serenitatem, si nube tectu, aeris mutationem divinant. Vertex eius praealta suv finem authumni perpetuum prima nive albescit et vere eadem diutissime cooperta spectatur, veluti per diuturniorem nivium horum candoris ostentationem, conditam infra sese, sub titulo ad Nives ecclesiam candidissimae Virginis Virginum et illius erga omnes ad se fiducialiter recurrentes candorem, ex alto omnibus longe lateque circumadiacentibus regionibus depraedicaret.

De Dote

Quae prima pio et ferventi in Beatissimae cultum promovendum zelo errexerat capellam, prima etiam eandem dotavit. Illustrissima nempe domina Comitissa *Elisabeta Keglevich*, Illustrissimi olim domini Comitis Georgii Junioris *Erdoedy* vidua, quae in anno 1677. (uti ex authentica dotationalium copia penes ecclesiam relicta, originali anno 1708. per reverendissimum Matthiam Dukovachki visitatorem Zagrabiam ad archivum ablato, apparet) duodecim cubulos ex bonis Bellecz iuris sui montani pro conservatione et incremento dictae ecclesiae in perpetuum contulit, quod jus montanum in hodiedum etiam et quidem per Stephanum Gazdek, aliter Palle, cubuli sex, pintae sex, Georgium Minchak cubuli duo, pintae sex, Matthiam Kovachek cubulus unus et Stephanus Szokol cubulus unus ad dictam eclesiam praestatur.

Et sicuti ad praeinsinuatam ecclesiam crevit devotio, crevit etiam eiusdem dotatio. Et quidem pietate defuncti domini Ignatii Bedekovich, vice-colonelli in Rhenensibus 300 id est trecentis, quibus diversorum Mariae colentium munificentia floreni 440 id est quadringentos quadraginta superaddidit. Simul itaque in parata hactenus surrexit eiusdem ecclesiae dotatio ad florenos Rhenenses 740 id est septingentos quadraginta. Quod capitale iam ad interesse ellocatum sub onere conscientiae eorum quorum intererit perpetuo conservandum. Intresse autem ad conservationem et incrementum ecclesiae convertendum veniet.

Singulari Beatissimae Virginis Mariae patronicio, ex laethali infirmitate domina *Cecilia-Christina Mattachich* consors domini regni Vice-Bani *Adami Naisich* relevata, ex voto et in tesseram gratitudinis florenos Rhenenses 260 id est ducentos sexaginta iam ad interesse elocatos, eo fine dictae ecclesiae consecravit, ut ab hac summa proveniens interesse eo usque congregetur et conservetur donec idem una cum capitali sufficientem fundum ad comparandam unam campanam maiorem ecclesiae huic proportionatam et nomini Sanctae Barbarae dicandam praebuerit.

Quas hic gratias Gratiarum Mater large profundere solet fama earum ipsam etiam Romam et ad Summum quique Pontificem penetravit, qui pro incremento cultus et gloriae Marianae pro festo (qui titularis est) ad Nives omnibus in ecclesia hac vere ponitentibus et Sacra Sinaxi refectis plenariam peccatorum suorum veniam indulsit. Ac una Indulgentiam hanc ad omnes quacumque anni die ad praerepetitam ecclesiam venturos ibidemque vere poenitentes et communicantes extendit. Indulgentiae hae per septennium suam vim habentes. Hoc absoluto denuo veniunt renovandae.

Ara Sacratissimi Rosarii a Summo Pontifice et thesauro Ecclesiae habet privilegium : quod singulis diebus Sabatinis Divinum quodcumque Sacrificium ad eandem dictum, unam confratris Rosariani animam e purgantibus flamis eliberare possit.

Confraternitas hic Rosariana cum indultu et approbatione Sacrae sedis dioecesianae sub protectione defuncti Excellentissimi, Illustrissimi et Reverendissimi domini *Gabrielis-Hermani e Comitibus Pattachich*, Colocensis et Bachensis ecclesiarum canonice unitarum Archi-Episcopi et Caesareo-Regii actualis intimi status Consiliarii, suum die 14. Julii anno 1737. sumpsit exordium illudque feliciter posuit incrementum, quod Albo eiusdem Confraternitatis ultra tria milia confratrum inserta numerentur.

De Reliquiis

Reliquia authentica Sancti Stephani Protho-Martiris per pium et largum eiusdem altaris et capellae supraspecificatum benefactorem pro perrenni suo in Beatissimam et tutelarem suum patronum, devotionis monumento ecclesiae huic dicata.

Alia item authentica, particulam Sanctae Crucis cruci christalinae argenteis circumferentiis decoratae insitam habens, pietate defuncti Illustrissimi et Reverendissimi domini liberi *Baronis a Sinerspergh*, praepositi maioris zagrabiensis et archidiaconi loci, donata.

De Re Suppellectili

Suppellex sacra maxime gloriatur Monstrantia argentea lottorum 150 $^{3}/_{5}$ solide inaurata, magno et subtili artificio ellaborata, praetiosis lapidibus mire adornata, pro qua in alia eaque maiori parte defuncta domina *Catharina Deszpotovich*, domini condam Sigismundi *Skerlecz* Consiliarii et tabulae regni Judiciariae Praesidis relicta vidua. In alia autem eaque minori domina *Elisabetha Sztrahina*, domini Pauli *Bettovich* cothoralis, pia liberalitate subministrarunt argentum. Refulget autem lapidibus praetiosis numero nonaginta novem, hinc inde perac-

comode dispositis. Ex quibus rubinos maiores et minores quinquaginta sex dominus *Nicolaus Bedekovich*, comitatus Varasdinensis ordinarius Vice-Comes, suppeditavit. Reverendissimus autem olim dominus *Nicolaus Terihay*, Praepositus de Gay et canonicus Zagrabiensis, decem smaragdos, quindecim amatistos, quatuor hiacintos, duas gemas et duodecim granatos lapides praeter et ultra plures centenos florennos pro labore et inauratura euisdem monstrantiae impensos ardenti suo in Beatissimam zelo motus larga manu subministravit. In cuius pietatis memoriam Sancti Nicolai praefati domini Reverendissimi tutelaris patroni imago adpedem Monstrantiae, ex parte, affabre collocata conspicitur.

Lampadem argenteam lottorum circiter 125 dominus Franciscus Praskach, calicem prae reliquis maiorem argenteum inauratum Reverendus *Laurentius Skrinyarich*, alium aeque argenteum inauratum *Adamus Ballog* Summae Coelorum Terraeque Reginae dicarunt. Duo autem aeque argentei, prouti et ciborium lottorum circiter 50 nec absimiliter ampulae cum sua pelvicula Rhenensium 90 ex piorum elemosina sunt comparata.

Vesticulam Beatissimae Virgini unam, cuius fundus ex argento filato, superficies ex rosis sericeis defuncti olim Domini Comitis *Joannis-Francisci Chikuliny*. Aliam autem ex holoserico rubro cum fimbriis hispanicis argenteis Dominae *Margarethae Gabelich, viduae Josepho Magdichianae*, residuas autem quinque ex diversis sericeis variagatis materiis partem argenteis, partem aureis sericeisque fimbriis adornatas, variorum pietas praestitit.

Casulas habet quinque ex quibus una praetiosior reliquae satis accomode adornatae varii coloris et sextam nigram ex damasco.

Albae ei sunt octo, quarum unam praecipuam ex tella Pambulina cum extremitatibus filatarum fimbriorum laboris Holandici per supra titulatum Dominum Illustrissimum et Reverendissimum Episcopum Belgradiensem aliam autem serico nigro acu pictam per Excellentissimum et Reverendissimum Dominum modernum Ordinarium Zagrabiensem *Franciscum Thauszy* donatas accepit. Relique ordinariae sunt. Humeralia tot, quod et albas numerat. Arae omnes suis mappis sunt provisa. Pluviale unum sericeum cum aureis rosis. Missalia quinque, cervicalia pro iisdem decem. Tres sedes ex lana variogata. Duas maiores coreo obductas, cingulos viginti, ex quibus duo sericei rubri Italici laboris auro intertexti, reliqui ordinarii. Vela ad calices novendecim ex quibus tria praetiosa, reliqua ordinaria. Pro velo unum frustum auro contectae materiae eidem ecclesiae diversorum pietas et munificentia dicavit.

0,50

Izdavački zavod Jug. akademije - Tiskara, Zagreb